

Apostolorum, arg. can. *In novo*. dist. 21. ibi: « Cæteri vero Apostoli, quod fuit cum eodem (Petro) pari consortio honorem, et potestatem acceperunt. » Et can. *Loquitur Dominus*, 24 q. 1, ibi: « Hoc erant utique et cæteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio præditi et honoris, et potestatis. » Quanquam in hoc posteriori canone recte notetur, quod Ecclesia, ad conservandam ejus unitatem super unum, hoc est, Petrum apostolum, sit ædificata; sive, ut legitur in can. *Ita Dominus* dist. 19, præfati muneris sacramentum per Christum in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocatum fuerit.

72. *Sed cum discrimine; et quali?* — Nihilominus præter jam dictam differentiam, aliud adhuc discrimen intercedit inter præfatam potestatem jurisdictionis a Christo immediate concessam divo Petro et cæteris Apostolis. Nam potestas fundandi ubique terrarum Ecclesias, creandique episcopos, beato Petro collata fuit non solum ratione officii vicariatus Christi, ac veluti ordinaria, et perpetuo duratura; quæ proinde, una cum officio vicariatus Christi, transiit ad legitimos ejus successores Romanos Pontifices. In aliis autem Apostolis, potestas illa, et jurisdictio, solummodo fuit personalis, utpote ipsis una cum apostolatu, et dono linguarum, atque miraculorum propter necessitatem illius temporis, et primæ foundationis Ecclesiæ, per speciale privilegium a Christo Domino concessa, et coherens; atque idcirco privilegium illud, veluti personale, in morte ipsorum extinctum fuit, nec transiit ad successores ipsorum, quales sunt episcopi Papæ inferiores; ut can. *In novo*. dist. 21, et can. *Quarum vices*, dist. 68.

73. *Jurisdictio episcoporum, prout respicit has vel illas personas, vel Ecclesias, etc., immediate provenit a Papa.* — Altera vero pars, nempe jurisdictionem episcoporum quantum ad immediationem suppositorum agentium, seu prout respicit has vel illas personas, Ecclesias, etc., quibus, vel respectu quarum est collata, immediate provenire a Papa, clare desumitur ex can. *Qui se scit*. 2. quæst. 6, ubi Virgilius Papa sic: « Ipsa namque Ecclesia (Romana) quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem vocatæ sint sollicitudinis, in plenitudinem potestatis. » Quibus similia habentur in can. *Decreto*, 2, q. 6, et can. *Multum*, 3, quæst. 6, et can. *Sacro sancta*, dist. 22. Nam

ex illo loquendi modo manifeste habetur alios episcopos habere jurisdictionem suam, seu partem sollicitudinis, immediate ab Ecclesia Romana, quæ prima est et magistra aliarum.

74. *Ecclesia Romana instituit episcopatus.* — Accedit, quia Ecclesia Romana, instituit episcopatus, can. *Omnes*. dist. 22, ac Ecclesias singulas singulis presbyteris dedit, can. *Ecclesias*, 13, q. 1, cum similibus. ergo etiam episcopi ab ea immediate accipiunt jurisdictionem quoad has, vel illas Ecclesias, personas, et loca; nam nomine presbyteri designari episcopum, habetur can. *Legimus*, dist. 93. Id ipsum confirmat, et amplius declarat Glossa un. in c. *Quod translationem, de Offi. legat.* pluribus allegatis juribus ostendens, quod solus Papa episcopos creat, transfert, deponit, eorumque potestatem auget, vel restringit, et ipse dioceses erigit, dividit, ampliat, vel minuit: quod est evidens signum episcopos proxime ac immediate accipere jurisdictionem suam a Papa. Alioquin certe, si potestas jurisdictionis episcoporum immediate foret a Christo, ea non posset amplius per Ecclesiam auferri, vel restringi: prout patet in potestate ordinis episcopalis, quæ cum immediate sit a Deo, nequit per Ecclesiam amplius tolli, seu limitari, quin saltem valide exerceatur. (ADNOTATIO VI.)

75. *Solvuntur instantiæ contra dicta.* — Nec obstat illud *Actor.*, c. xx, 28: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Resp. enim, hinc solum sequi, jurisdictionem episcoporum esse mediate a Spiritu sancto, nempe mediante auctoritate Ecclesiæ, non autem immediate: quomodo etiam *Ephes.* iv, 11 dicitur, quod *Deus dedit quidem quosdam Apostolos, alios autem pastores et doctores, etc.* Vel illud certe ex eo sic dicitur quia episcopatus secundum se, ac in generali, est a Deo institutus: nam iidem episcopi, ac quos ibidem loquitur Apostolus, non immediate a Christo, sed ab Apostolis, a quibus tunc propriis in Ecclesiis fuerunt constituti episcopi, suam acceperunt potestatem jurisdictionis; sicque præsens instantia parum urget.

76. *Episcopi succedunt in locum Apostolorum; et quomodo?* — Nec obstat ulterius, quod episcopi succedunt in locum Apostolorum, can. *In novo*, dist. 21, cum similibus; et fatetur concilium Trident., sess. 24. cap. iv, ibi: « Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt. » Resp. enim, hinc neutram

sequi, etiam episcopos immediate a Christo suam accipere jurisdictionem, prout receperunt Apostoli: sicut ex eo, quod omnes homines succedant primo parenti Adamo, pessime inferitur eos omnes immediate a Deo formari ex limo terræ. Succedunt itaque episcopi in locum Apostolorum, tum ratione ordinis episcopalis; tum etiam per quamdam similitudinem, et proportionem, ratione officii sui, quia sicut olim sub Christo adhuc vivente primi fuerunt duodecim Apostoli, dein septuaginta duo discipuli; ita nunc primi sub Romano Pontifice sunt episcopi, dein presbyteri, diaconi, etc. Non vero succedunt Apostolis episcopi quoad omnia alia, quia non habent donum linguarum et miraculorum, nec auctoritatem scribendi libros canonicos, neque potestatem prædicandi, ac fundandi Ecclesias toto terrarum orbe, ut habuerunt Apostoli. Bellarmin, cit., lib. IV, *de Romano Pontifice*, cap. xxv.

77. *Episcopus potest in sua diocesi, quod Papa in tota Ecclesia; et quomodo?* — Nec obstat tandem illud vulgatum dictum, « Episcopus potest in sua diocesi, quod Papa in tota Ecclesia, nisi quid sit specialiter exceptum. » Resp. enim dictum illud esse intelligendum cum debita subordinatione ad summum Pontificem, et salvis constitutionibus papalibus, quibus episcopus subesse debet; prout amplius declaratum est superius, tit. *de Constitutionibus* § IV. n. 77. et 78. (ADNOTATIO VII.)

78. *Episcopus debet justam censuram, quam inferior ordinarius in sibi subjectum tulit, observare, nec eam sine hujus præscitu relaxare.* — Quæritur III. Utrum illum, quem inferior prælatus excommunicavit, possit episcopus, hoc inscio, absolvere? Resp. I. Quando inferior ordinarius subditus episcopi, ut puta archidiaconus, vel decanus, profert in sibi subditum justam censuram ecclesiasticam, v. g. sententiam excommunicationis, tunc episcopus eandem observare debet, nec illam sine debita satisfactione, et præscitu proferentis relaxare; quamvis, si tunc absolverit, teneat absolutio per episcopum facta. Ita desumitur ex c. *Cum ab Ecclesiarum*, 3, h. t. et tradunt ibidem Glossa fin., et Abbas in *Summario*; Vivianus in *Rationali*; Pirhing, h. t. n. 74 et alii. Concordat c. *Ad reprimendum*, 8, h. t. ubi Innocentius III mandat archiepiscopo Rothomagensi, ejusque suffraganeis, ut sicut ipsi latas ab eis interdum in subditos ad reprimendam horum malitiam poenas, seu censuras ecclesiasticas, volunt inviolabiliter ob-

servari: ita latas ab aliis (puta, ab episcopo Lexoviensi, suffraganeo illius) debeant inviolabiliter observare.

79. *Et hujus ratio?* — Accedit ratio: quia ecclesiasticus confunditur ordo, si sua unicuique jurisdictio non servetur, can. *Pervenit*, 11, q. 1, et quia censura per ordinarium lata semper præsumitur justa, donec contrarium probetur, c. *In præsentia*. 6. *de Renuntiat.* simulque excommunicatus in uno loco, ubique est excommunicatus, cum excommunicatio sequatur personam, sicut lepra leprosum, arg. can. *Cito turpem*, 1. q. 1. Hinc ipsa per unum ordinarium legitime lata, debet etiam per alium, quamvis ejus superiorem, observari, ut probant jura allegata.

80. *Quid si subditus inferioris conqueratur episcopo se injuste excommunicatum fuisse?* — Et hoc procedit, etiamsi subditus ordinarii inferioris conqueratur episcopo se injuste censura affectum, et v. g. excommunicatum fuisse. Adhuc enim non illico episcopus ipsum debet absolvere, sed antea eum remittere ad suum ordinarium inferiorem, a quo fuit excommunicatus, ut ipsum absolvat, cit. c. *Ad reprimendam*, § fin. n. 1. estque in simili dictum superius, n. 50.

81. *An valeat tunc absolutio per episcopum data irrequisito ordinario inferiore?* — Quod si tamen episcopus talem absolvat irrequisito ordinario inferiore, tenet quidem absolutio (nam episcopus est superior altero, estque ordinarius totius diocesis, can. *De persona* 11 q. 1. sicque habet concurrentem jurisdictionem erga omnes subditos suos cum quocumque inferiore ordinario) male tamen in hoc facit, utpote sine justa causa turbans jurisdictionem inferioris; ut cit. c. *Cum ab Ecclesiarum*, juncta Glossa fin. doctores, ibid. h. t.

82. *Potestas episcopi, ad quæ in specie sese extendat? Remissive.* — Cæterum, ad quæ in specie sese extendat officium, atque potestas episcopi, partim suo loco dicitur in propriis titulis, partim fusissime declaratur ab Augustino Barbosa in tribus integris tomis, « *de Officio et potestate episcopi* » inscriptis. (ADNOTATIO VIII.)

§ IV.

DE LEGE DIOECESANA, ET LEGE JURISDICTIONIS EPISCOPORUM.

83. *Jura episcopalia spectant vel ad legem diocesanam, vel ad legem jurisdictionis.* — Quæ-

ritur I. Quid generaliter sit tenendum de lege diœcesana, et jurisdictionis, et an monasteria ab eis sint exempta? Resp. I. Jura episcopalia sunt in duplici differentia; alia siquidem spectant ad « legem diœcesanam; alia ad « legem jurisdictionis: » atque in his duabus consistit totum jus, auctoritas et potestas episcoporum, desumitur ex c. *Conquerente* 16 h. t. ubi ejusmodi jura episcopalia enumerantur; et c. *Dilectus*, 18, eod., juncta Glossa ibidem expresse docente, quod in hisce duabus legibus consistat totum jus, et potestas episcoporum; estque communis, ac patebit ex declaratione dictarum legum.

84. *Quæ sunt valde diversæ.* — Resp. II. Lex diœcesana, et lex jurisdictionis, sunt valde diversæ, adeoque res judicata in una, non obstat agenti in altera. Textus est in cit. c. *Dilectus*, 18 h. t. juncto summario, et doctoribus ibidem; idque pariter amplius patebit ex dicendis.

85. *Omnia monasteria regulariter sunt exempta a lege diœcesana.* — Resp. III. Omnia monasteria regulariter loquendo sunt exempta a lege diœcesana et quidem ipso jure ob favorem religionis; non vero a lege jurisdictionis, nisi speciali privilegio sint munita. Ita Glossa fin. in c. *Dilectus*, et Abbas, ibid. n. 4, et Fagnanus n. 3, h. t. Engel, in *Privilegiis monasteriorum*, privileg. 3, n. 2. et alii communiter.

86. *Omnia monasteria regulariter sunt exempta a lege diœcesana.* — Prima pars habetur expresse in can. *Si ex laicis*, 10, q. 1. et can. *Inter cætera*, 10, q. 3, et can. *Cum pro utilitate*, 16, q. 1. et can. *Quam sit*, 18 q. 2, ubi aperte quæcumque monasteria a lege diœcesana, seu solvendis episcopo certis pensionibus suorum reddituum, dicuntur exempta. Quod tamen procedit regulariter loquendo, ac nisi secus habeatur ex primæva fundatione, diuturna consuetudine, seu legitima præscriptione, ac seclusis casibus illis, in quibus expresse reperitur contrarium a jure statutum.

87. *Non vero capellæ, seu parochiæ sæculares ipsis incorporate.* — Dicitur etiam notanter in conclusione, « omnia monasteria: » hoc est, sive cæteroquin sint exempta a jurisdictione episcopi, sive non. Secus enim est dicendum de capellis eorum; quia capellæ monasteriorum, seu parochiæ sæculares ipsis incorporate, nisi sint exemptæ, subjiciuntur legi diœcesanæ, arg. c. *de Monachis*, 12, *de Præbend.* etc. *Ex ore*, § fin. *de Privileg.* etc. Quo-

niam, 21, eod. cum similibus; et tradit Glossa fin. in cit. c. *Dilectus*, h. t. et Abbas, ubi supra, dicens quod monasterium habens populum non exemptum, subest episcopo ratione populi quoad utramque legem.

88. *Monasteria a lege jurisdictionis ne utiquam sunt exempta.* — Altera vero pars, videlicet, quod monasteria a lege jurisdictionis episcopi ne utiquam sint exempta, nisi speciali privilegio sint munita, patet ex can. *Interdicimus*, 16, q. 1, et can. *Monasteria*, et can. *Cognovimus*, 18, q. 2, ubi expresse hoc legitur statutum.

89. *Nisi speciali privilegio sint munita; quale de facto habent plerique ordines requirunt.* — Additur notanter « nisi speciali privilegio, » etc., quia hodie plerique religiosi ordines præsertim mendicantium, et omnia ipsorum monasteria, pro commodiori eorum gubernio majorique tranquillitate, et pace, auctoritate apostolica, ab episcoporum jurisdictione, sicque a lege tum diœcesana, tum jurisdictionis ipsorum, per diversos Romanos Pontifices exempti sunt, et immediate Sedi Apostolicæ subjecti, exemptis dumtaxat certis casibus infra per duos paragraphos referendis; prout inter alios late ostendit Emman. Rodericus, tom. II, *Quæst. regul.* q. 64, art. 2, et seqq. et Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 105, n. 11 et 12, omnes exemptos religiosos ordines in particulari recensens.

90. *Lex diœcesana, et lex jurisdictionis, quomodo sint interpretandæ? Quæ in dando consistunt, spectant ad legem jurisdictionis.* — Quæritur II. Quomodo interpretanda sit « lex diœcesana, et lex jurisdictionis? » Resp. I. Quamvis circa interpretationem dictarum legum non parum variant auctores, uti videre est apud Fagnanum, in cit. c. *Dilectus*, n. 3, h. t. et alios; magis tamen expedita et cæteris clarior est interpretatio Glossæ in *Summa* caus. 10, q. 1, et Glossæ fin. in d. c. *Dilectus*, h. t. quam sequitur Hostiensis in *Summa* h. t. § *Sunt autem*, Sylvester. *Episcopus*, n. 8, et Engel, tit. *de Majorit. et obed.* n. 37. atque amplius in *Privilegiis monasteriorum*, privileg. 3, n. 2, qui censent, quod ea, quæ in dando consistunt, hoc est, quæ episcopus dare, seu aliis conferre debet, sicque actionem ejus important, spectent ad legem jurisdictionis: ut sunt collatio ordinum aliorumque sacramentorum, datio curæ animarum, consecratio Ecclesiæ, vel altarium, aut virginum, chrismatis confectio et hujusmodi. Qui-

bus Glossa marginalis in d. c. *Dilectus*, addit causas audire, et omnia, quæ circa judicium aguntur, expedire, item visitare, corrigere, suspendere, interdicere, statuta facere, etc.

91. *Quæque consistunt in recipiendo, pertinent ad legem diœcesanam.* — Econtra vero ea, quæ consistunt « in recipiendo, » sive (ut nonnulli loquuntur) in passione dulci id est, quorum recipiendorum jus habet episcopus, pertinent ad legem diœcesanam: ut sunt, exactio cathedralici, receptio quartæ decimarum, vel funeralium, vocatio ad synodum, et hujusmodi.

92. *Hæc opinio graviter impugnatur.* — Fatendum quidem, quod dictam Glossæ opinionem graviter post Innocentium impugnet, ac reprobet Abbas in cit. c. *Dilectus*, n. 4, h. t. quem novissime sequitur Fagnanus, ubi supra, nu. 3, citans alios, tum quia (inquunt) dicta regula Glossæ nullo jure probatur, tum quia convocatio synodi non consistit in recipiendo, sed in passione dulci, quinimo præest ibidem episcopus et exercet jurisdictionem, ac punit contemntes, seu non venientes; et tamen juxta c. *Quod supra* 9, *de Majorit. et obed.* atque citatam Glossam, vocatio ad synodum spectat ad legem diœcesanam; tum tandem, quia procuraciones, quæ debentur episcopo ratione visitationis, consistunt in recipiendo, seu in passione dulci; idemque patet in exactione mortuorum, seu quartæ funeralium, et tamen hæc non spectant ad legem diœcesanam, ut vult Glossa; nam monasteria sunt exempta a lege diœcesana, can. *Cum pro utilitate*, 16, q. 1 cum similibus; non autem a præstatione procuracionum, c. *Sopitæ de Censib.* neque ab exactione mortuorum, seu quartæ funeralium, c. *Officii*, 14, et c. *Requisivisti*, 15, § *Secus autem de Testament.* cum similibus.

93. *Sed defenditur solvendo contraria.* — Verum his non obstantibus ne utiquam videtur recedendum ab opinione Glossæ, et data nostra conclusione: nam ad contraria facilis est responsio. Et imprimis ad primum dicitur præfatam Glossæ doctrinam abunde colligi ex c. *Conquerente*, 16, et c. *Dilectus*, 18, h. t. junctis illis sacris canonibus, quibus monasteria ob favorem religionis eximuntur a lege diœcesana: frustra enim, et absque ullo suo favore taliter eximerentur, nisi lex diœcesana quid onerosum monasteriis, et delectabile episcopis, hoc est, dulcem horum passionem, seu in recipiendo consistentem importaret. Ad alterum dicitur convocacionem sy-

nodi principaliter consistere in recipiendo; cum in eadem præstetur episcopo canonica obedientia, subjectio, et reverentia, juxta c. *Conquerente*, licet accessorie involvat quasdam actiones episcopi, sicque sit mixti juris juxta dicenda n. 103. Atque ultimum dicitur, casus illos esse de specialiter exceptis, ac in jure expressis.

94. *Alia quorundam opinio, quæ rejicitur.* — Certe doctrina Glossæ taliter declarata longe clarius explicat naturam legis jurisdictionis, ac diœcesanæ, quam si cum Abbate, loc. cit. et nonnullis aliis dicatur, ad legem jurisdictionis pertinere ea, a quibus monasteria de jure non reperiuntur exempta: illa vero pertinere ad legem diœcesanam, a quibus monasteria sunt exempta, et cæteroquin spectant ad jus episcopale. Quis enim non videat, hac ratione explicari obscurum per æque obscurum? cum illico restet investigandum, quænam sint illa pertinentia ad jus episcopale, a quibus monasteria eximuntur: nam de his ipsis graviter controvertunt doctores: unde,

95. *Ad legem diœcesanam episcoporum, quæ speciatim pertineant?* — Quæritur IV. Quænam sint illa, quæ specialiter pertinent ad legem diœcesanam episcoporum? Resp. I. Ist hæc enumerantur a Glossa in d. c. *Dilectus*, h. t. et Abbate ibid. n. 4. § *Et ideo*, ac aliis; et potissimum sunt sequentia.

96. *I. Ad eam pertinet cathedralicum. Cathedralicum, quid; et unde sic dicatur.* — I. De lege diœcesana est *cathedralicum*, hoc est, annua exactio duorum solidorum, quos a qualibet Ecclesiæ suæ diœcesis, præterquam a monasteriis, potest episcopus annuatim exigere, can. *Inter cætera*, 10, q. 1, et c. *Conquerente*, 16, h. t. Et dicitur *cathedralicum*, quia datur propter honorem cathedræ episcopalis, can. *Placuit*, 10, q. 3, ubi Glossa nomine *solidi*, arbitratur intelligi « Aureum, » ut L. 2, *C. de Sportulis*. Quandoque etiam appellatur *synodaticum*, quia in synodo datur, c. *Olim. de Censib.* Glossa in cit. c. *Conquerente*, § *Duos solidos*, h. t.

97. *II. Quarta decimationum. Ad hæc non tenentur monasteria, et Ecclesiæ non parochiales.* — II. De lege diœcesana est, « quarta decimationum, » seu quarta pars decimarum: hæc enim spectato jure communi debetur episcopo ratione curæ universalis quam habet in Ecclesiis sibi subjectis, d. c. *Conquerente*, juncta Glossa ibid. h. t. Verum de facto oportet attendere ad consuetudinem singula-

rum diœcesium : nam alicubi debetur tertia, alicubi nec tertia, nec quarta. Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 86, n. 39. Monasteria vero, sicut et Ecclesiæ non parochiales, ad eam non tenentur. Barbosa, *ibid.* n. 38. citans Cochier *de Jurisdictione ordinari. in exempt.* part. I, quæst. 15, n. 6, et alios.

98. III. *Quarta mortuorum, seu funeralium.* — III. Ad legem diœcesanam pertinet etiam « quarta mortuorum, » seu funeralium, cit. c. *Conquerente*, h. t. et tradit Glossa in c. *Dilectus*, §. *De lege jurisdictionis*, eod. Quamquam hæc ipsa canonica portio episcopalis, quæ videlicet secundum canones debetur episcopo ex legatis, ac funeralibus oblationibus, si quæ fiunt Ecclesiis, aliisque piis locis intra diœcesim ejus existentibus, alicubi sit quarta, alibi tertia, vel media pars, juxta diversas consuetudines particularium locorum, c. *Certificari*, 9, *de Sepultur.*

99. *Ab hac de jure non eximuntur monasteria.* — Dices : Monasteria sunt exempta a lege diœcesana, ut dictum n. 85 et 86; ergo ad hanc non spectat quarta mortuorum; cum ab ista de jure non eximantur monasteria, ut d. c. *Offic.* 14, et c. *Requisivisti*, §. *Secus autem*, 15, *de Testament.* Resp. Antecedens procedere regulariter, et ubi oppositum non reperitur in jure expressum, ut notat Engel, *de Privilegiis monasteriorum*, cit. *Privileg.* 3, n. 2.

100. *Et quid de consuetudine, aut spectatis privilegiis apostolicis?* — Cæterum, quod exactio dictæ canonice portionis episcopalis passim in desuetudinem abierit, monasteriis contra eam præscribentibus, juxta c. *de Quarta*, 4, *De præscript.* pariter observat Engel, cit. n. 2. Insuper quod etiam ex specialibus privilegiis apostolicis quamplura monasteria regularium, ac specialiter Fratrum Prædicatorum, Minorum de observantia, Minimorum, et communicantium in horum privilegiis, sint exempta a solutione quartæ funeralium episcopis præstanda, tradit Barbosa, cit. allegat. 86, n. 17, cum aliis pluribus; fuitque decisum in *Rota* 15 januarii 1618, cujus decisionem ipse per extensum adducit.

101. IV. *Tertia pars oblationum, et quid de facto?* — IV. Tertia pars « oblationum » est de lege diœcesana. Hæc enim de iis, quæ in altaria a fidelibus offerebantur, antiquitus fideliter episcopis erat deferenda, can. *De his* 10, q. 1. imo quandoque debebat ipsis præstari medietas dictarum oblationum; ut can.

Antiquos, 10, q. 1. Monasteria tamen ab hac erant exempta, *Cum pro utilitate*, 16, q. 1. Et de facto etiam Ecclesiæ sæculares ad id non amplius tenentur, can. *Placuit*, et can. *Priscis*, 10, q. 3, ac notat Abbas cit. c. *Dilectus*, n. 4, h. t.

102. V. *Convocatio ad synodum. Abbates an cogantur venire ad synodum?* — V. Ad legem diœcesanam pertinet convocatio ad synodum, ut c. *Conquerente*, 16, h. t. et c. *Quod super his*, 9, *de Majorit. et obed.* et tradit Glossa ubi supra. Unde, quia a lege diœcesana in favorem religionis monasteria sunt exempta, Abbates non sunt cogendi venire ad synodum, can. *Episcopus non debet*, dist. 18. Nisi populum habeant, vel nisi ratione capellarum non exemptarum, aut ratione longævæ consuetudinis, ad id teneantur; ut cit. c. *Quod super his*, juncta Glossa *ibid.* §. *Diœcesana*, et c. *Ex ore*, 17, *de Privileg.* Hostiensis in *Summa*, h. t. §. *Sunt autem*, et quidam alii.

103. *Synodus est mixti juris.* — Notat tamen Abbas in d. c. *Quod super his*, circa medium, post Hostiensem, quod synodus est mixti juris. Nam respectu convocationis est de lege diœcesana; seu respectu eorum, quæ statuuntur in synodo, seu quatenus in ipsa quidpiam statuitur, non est de lege diœcesana; sed de lege jurisdictionis; quia ad jurisdictionem pertinet, et statuere, et statutis obedire (ADNOTATIO IX.)

104. VI. *Charitativum subsidium. Monasteria ad hoc non tenentur, nisi habeant annexas Ecclesias sæculares.* — VI. Ad legem diœcesanam spectat charitativum subsidium, arg. cit. c. *Conquerente*, h. t. Et dicitur « charitativum subsidium, » quia a principio postulandum est cum charitate, nec aliud est, quam petitio moderati auxilii, quod episcopus ex causa rationabili, et manifesta, exigere potest secundum facultates Ecclesiarum, vel beneficiorum, ita tamen ut non nimium graventur, c. *Cum Apostobus*, §. *Prohibemus*, *de Censib.* Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 87, n. 45, et seqq.; Pirhing, h. t. nu. 109; Sannig, h. t. cap. VIII, et alii. Qui simul recte advertunt, quod monasteria non teneantur ad præstandum episcopo subsidium charitativum; nisi forsitan habeant annexas Ecclesias sæculares, quæ ante suam unionem illud episcopis præstare consueverant, arg. Clem. 1, et 2, *de Censib.*

105. *Procuraciones tempore visitationis præstari solitæ, an pertineant ad legem diœcesanam?* — Tacentur *Procuraciones*, hoc est, vic-

tuaria præstari solita ab Ecclesiis tempore visitationis, quo episcopus, vel per se, vel per alium ipsas visitat, et juxta facultates cujusvis Ecclesiæ moderate exigere possunt, cit. c. *Conquerente*, h. t. Nam quia visitationi annexa est procuratio, c. *Cum venerabilis*, 19, *de Censib.* ac proin hæc etiam a monasteriis visitatis præstari debet, c. *Sopitæ*, 14, eod. Sicut visitatio pertinet ad legem jurisdictionis, ita procuratio, veluti quid successorium, ad eam commode reducitur. Pirhing, h. t. n. 107. Quod si vero procuraciones placeat revocare ad legem diœcesanam, erunt applicanda dicta superius, num. 99. Omittuntur etiam nonnulla alia ad legem diœcesanam spectantia, de quibus Abbas in cit. c. *Dilectus*, n. 4, h. t.; nam præmissa sunt cæteris potiora.

106. *Asserens aliquid pertinere ad legem diœcesanam, tenetur hoc probare.* — Resp. II. Extra casus in jure expressos, quisquis asserit aliquid pertinere ad legem diœcesanam ideoque monasterium ad illud non teneri, debet hoc probare. Ita Abbas in cit. c. *Dilectus*, n. 4, §. *Ex prædictis*, h. t. Et merito: habet enim episcopus functionem in jure intentionem super jurisdictione sua per totam diœcesim; unde alleganti exemptionem, incumbit onus probandi.

§ V.

DE CASIBUS ILLIS, IN QUIBUS EPISCOPI HABENT JURISDICTIONEM IN REGULARES EXEMPTOS.

107. *Omnia monasteria, omnesque monachi olim fuerunt subjecti episcopis.* — Sciendum, quod olim spectato jure communi omnia monasteria fuerint subjecta episcopis, in quorum diœcesi sita erant; ut can. *Qui vere*, 16, q. 1. et can. *Monasteria*, vel 18, q. 2; omnesque monachi non minus, ac clerici sæculares, subjecti fuerint episcopis, in quorum diœcesibus monasteria existebant; ut constat ex c. *Abbates*, et d. can. *Monasteria*, vel 18, q. 2. cum similibus: atque hinc episcopi habeant fundatam in jure intentionem tam in civilibus quam criminalibus causis contra abbates, et regulares.

108. *Hodie tamen plerique ordines regulares exempti.* — Hodie tamen, attentis variis summorum Pontificum privilegiis, plerique ordines regulares, præsertim mendicantes, sunt exempti ab episcoporum potestate, et lege non solum diœcesana, sed etiam jurisdic-

tionis ipsorum, juxta dicta superius num. 99, atque subsunt omnimodæ jurisdictioni suorum prælatorum regularium, qui in eos jurisdictionem quasi episcopalem obtinent, c. *Abbates*, 3, *de Privileg.* in 6, sicque omnia, quæ sunt jurisdictionis, exercere possunt in eosdem, quæ episcopi in suos subditos, ut passim tradunt auctores.

109. *Exceptis certis casibus, in quibus regulares exempti subsunt jurisdictioni episcoporum, et cur?* — Verum isthac exemptione non obstante, de facto plures sunt casus speciales, in quibus regulares exempti subsunt jurisdictioni episcoporum. Eorum nonnulli continentur in jure communi, ut ostendit Emman. Rodericus, tom. III *Quæst. regul.* quæst. 64, art. 11; plerique vero novissime sunt additi per concilium Tridentinum, et varias constitutiones apostolicas, post illud emanatas. Siquidem ex una parte « Privilegia, et exemptiones hodie perturbationem in episcoporum jurisdictione excitare, et exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur, » ut animadvertit atque loquitur concilium Tridentinum, sess. 24, cap. XI, *de Reform.*; ex altera vero parte durum videbatur ejusmodi exemptionem religionibus, dudum de Ecclesia catholica optime meritis, per diversos summos Pontifices concessam in totum revocare. Unde provide sacrum concilium Tridentinum, et sequentes Romani Pontifices, ad præcaendum ulterioribus exemptorum excessibus per exemptionem diversorum casuum specialium præter eos, qui jam jure communi erant expressi, ipsorum exemptionem saltem restringendam censuerunt.

110. *Ejusmodi casus quot enumerentur a doctoribus.* — Porro ejusmodi casus quadraginta septem refert, ac explicat Fagnanus in c. *Grave*, n. 37 et seqq. *de Offic. ordinari.* in quibus regulares exempti, etiam intra clausura degentes, subsunt visitationi et jurisdictioni episcoporum; eisque idem auctor plures alios præmittit, qui concernunt regulares curam animarum habentes. Barbosa vero, part. III, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 105, enumerant universim quinquaginta duos tales casus; et Ascanius Tamburinus, tom. III, *de Jure abbatum*, disp. 5, q. 11, recenset quinquaginta quinque. Sufficiet ad propositum nostrum eorundem quadraginta principaliores breviter referre, cæteris ad præcitatos auctores remissis.

111. I. *Quando regulares extra claustra degentes delinquant.* — Regulares extra claus-